



CUM DEO!



Ensum omnium certissimus est
oculus; Aristot. *libr. 1. Metaphys. cap. 1.* &
quæ oculis hauriuntur, celerius ad ani-
mum accedunt, quam quæ aurium via
manant. Hinc Horatius:

*Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

Et Plautus:

*Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt.*

Hoc agnoscens scribit Justinianus Imperator: *Magis ve-
ritas oculata fide, quam per aures, animis hominum insigitur.*
§. fin. Inst. de grad. cognat. Et hæc est causa, propter quam,
in contractibus & similibus negotiis, haud raro certa res,
quæ communiter *ARRHA* vocatur, in argumentum
& signum gestorum dari solet; ut nimirum & contra-
hentes & testes oculis quoque, atq; sic evidentius per-
cipiant, aliquid gestum esse. Quamvis autem hujus
ARRHÆ consideratio, teste Baldo, *in l. 2. n. 1. C. Quand.*
liceat ab empt. reced. maxime sit utilis, & frequenti usu exi-
mia; *Cald. tr. de empt. & vendit. cap. 1. num. 33.* nunquam
tamen hætenus a *Dd.* satis enucleata, sed potius variis
ac contrariis illorum opinionibus, multis involuta est
difficultatibus. Quare operæ pretium nos facturos ar-
bitramur, si paulo plenius eam tractandam suscipiemus,
& publico Eruditorum exanimi subjiciemus; quod dum
facimus, *DEUM* Ter Optimum Maximum pro felici suc-
cessu calidis veneramur suspiriis!

A

CAPIT